Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

bonitatis, lucem rationalem, lucem intellectualem, angelice creature splendidam dignitatem. Quomodo autem dictum est: Et vidit Deus lucem quod esset bona? Nonne antequam faceret hoc ipsum viderat quia facere bonum erat? Nonne et euangelista sic dicit de Verbo isto in quo dixit Fiat: quia quod factum est in ipso vita erat? Ergo quod vidit hoc est iusto iudicio ponderavit et conspectu suo dignam duxit. Sequitur enim: Et divisit lucem et tenebras. Divisio ista lucis et tenebrarum terribile Dei iudicium super diabolum esse factum insinuat. De quo psalmista: Tu terribilis es, inquit, et quis resistet tibi? Ex tunc ira tua. Tamquam diceret: Quis tibi resistere potest, cum ex quo tibi quis resistit, ex tunc terribilis exardescat ira tua? Nam ex quo diabolus restitit, id est resistere tibi voluit, tu iratus es, et resistere non potuit. Cecidit enim angelus et factus est diabolus. Hoc terribile iudicium per divisionem insinuatur lucis et tenebrarum. Que enim sunt iste tenebre, nisi omnes angeli Sathane cum eodem suo principe? Has utique tenebras Deus luceque divisit, quia malos angelos a bonis separavit. Divisit inquam separatione immutabili, ita ut nec isti qui ceciderunt resurgere, nec illi qui cum peccare possent peccando cadere noluerunt, ultra umquam habeant ut possint peccando cadere. Verbo namque Dei celi firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ista lux isti sunt celi, lux inquam quam Deus a tenebris divisit, et celi quos Verbo suo, quos Spiritu, id est amore suo Deus firmavit, ut iam obscurari vel dissolvi non possint, congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, que omnia secundum litteram iam in illo exordio facta esse dubium non est. Timeat ergo Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem, quia profecto qualis tunc destruxit consilia superborum spirituum, talis et usque in finem Dominus dissipabit consilia gentium, reprobabit autem cogitationes populorum, et reprobabit consilia principum. Unde autem venerunt iste tenebre iam dictum est. Videlicet unde venit predicta lux, unde venerunt et iste tenebre. Fuerunt enim lucentes angeli, et proprio vitio facti sunt demones tenebrosi.

XIIII. Hic iam cum admiratione queri solet quomodo bone substantie vitium surripere potuerit, et lux in tenebras demutata sit. Admirationis autem ea vel maxime causa est, quia non recogitant plerique angelos eque ut homines mox ut creati fuerunt innocentes quidem, sed non repente summos extitisse, nichilque preter Deum sine profectibus in summo consistere, vel firmamentum perfectionis apprehendere quivisse. Hoc inquam plerique non recogitant, magnitudine nominis angelici sic preoccupati, ut non vacet illis scire, quia spiritualis creatura sicut habuit initium, sic habere debuit et profectum, et ex necessitate quidem habet esse, sed ex voluntate tendere cepit ad firmitudinem bone essentie. De hoc ergo paucis respondendum est.

XV. Primo omnium de creatore Deo pie sentiendum est, videlicet quod voluntate eius nec angelus nec homo periit, et non ita de utero eius glacies egressa sit, vel gelu de celo sic genuerit, ut vel malam naturam creaverit, vel bonam naturam post ipse relinquendo in malam demutaverit. Quid ergo inquis? Si creaturam suam salvam esse voluit, quare non talem creavit ut omnino nullius esset vitii perceptibilis sive passibilis? Ad hec inquam: Huius rei a nota imagine Dei, scilicet ab homine, documentum capiendum est. Potest homo et naturaliter generare et operari potest voluntarie. Quod generat aliud esse non potest quam quod est ipse; quod operatur nullatenus esse potest quod est ipse. Gignit enim homo non aliud quam hominem; operatur verbi gratia domum quam inhabitet, vel quam induat decoram vestem. Horum nichil est hoc ipsum quod est ipse; laudatur autem si hec operatus est scite vel commode, sicut est dignum se. Sic nimirum Deus genuit quidem hoc ipsum quod est ipse, scilicet Deus Deum, impassibilis impassibilem, immutabilis incommutabilem, lux vera nichilominus veram lucem, videlicet unicum filium suum dominum nostrum Ihesum Christum, ante omnem creaturam primogenitum.